

De satirae Persianae natura et indole.

„Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit.“
Quintil. X, 1, 34.

Caput I.

Cum quodvis carminum genus ex aetate scriptoris pendeat, tum satira saeculi ipsius mores corruptos castigans omnia inde deponit argumenta, inde omnem colorem dicit. Comoediae, quae satiram affinitate quadam contingit, in priora tempora recedere licet, satira praesenti quadam impetu movetur, cum quo tempore omnia in peius ruunt poeta satiricus summis viribus contendat, ut ingruenti rerum omnium exitio moribus corruptis acerbe castigandis sese opponat. Sed non solum ob materiam, quam ex tempore ipso deponmat necesse est, satira inde pendet, cognitione quoque quadam studiorum poeta qui satiras scribit et ii qui illum legunt coniuncti esse debent. Aetate prorsus corrupta et socordia insanabili demersa satira fere inutilis est, cum homines e torpore excitari et sorde vitiorum liberari vix patientur. Ut Rothius „de satira Romana“ p. 6 recte animadvertisit, nec mediocritates nec nimietates satirae convenient, sed pravitas illa animi ac perversitas, ex qua hominibus ad virtutem redire atque ad bonam frugem se recipere licet. Verae satirae ea tantummodo aetate scribuntur, qua res publicae et privatae adeo corruptae et depravatae sunt, ut boni omnes rerum mutationem communibus votis exposcent. Quem illi concupiscunt redditum ad amissam naturam ipsam moresque simplices et emendatos, cuius desiderio flagrant omnes, illum poeta libera voce efflagitat, qui naturae et vitae repugnantiam moribus aequalium arguta imagine exprimendis castigans id potissimum agit, ut ad bonam mentem ac sanitatem homines revocet.

Satiram, cum qualem descripsi aetatem requirat, aetate Neroniana non tam provenisse, qualem facile quisque exspectaverit, non ita mirum videbitur. Materia quidem satirae prostabat et uberrima et instissima. Virtutes, quibus olim Romani gloriari potuerant, fere ignotae erant; vitia, quae iam antea in rem publicam irrevererant et occulta contagione diffusa iam latissime serpebant, tam in modum excreverant, ut optimus quisque statum rerum immutatum summa cum indignatione intueretur. Illa aetate, qua vel mediocria ingenia ad satiras scribendas impelli poterant, unus qui satiras scripsit Persius exstitit. At quisquis satiras illius vel leviter percurrit, statim eo offenditur, quod materiam ditissimam et amplissimam vix attigit, res turpae et exitiosae, quae gravi reprehensione dignissimae erant, denotandas declinavit; quibusdam totus fere in sententiis generalibus versari videtur. Nulla unquam fit mentio vitiorum tunc maxime vigentium, non delatorum et causidicorum artes nefandae, non connubia stupro polluta, non turpiter abiecta equitum in arena dignitas, non libertinorum immodica omnia perpetrandi audacia perstringuntur. Difficile erat „satiram non scribere,“ cum quoque quis oculos convertebat, sceleribus vitiisque vitam publicam et privatam contaminatam videret.

Persius, qui vitiis aetatis sua penitus indolescebat, satiris scribendis id maxime propositum habuit, ut homines vitiorum et errorum vinculis constrictos ad veram solidamque virtutem revocaret. At optime se id non assecuturum esse intellexit, si singulorum hominum vitam infamaret ipsosque publicae ignominiae obiceret; quotus enim quisque a turpissima illa vitiorum contagione liber erat? Cum satira ea potissimum vitia carpenda sumat, quae publice sunt exitiosa et uno descripto genus aliquod hominum describatur, Persius optimo iure corruptum litterarum statum, Deorum contemptum et anilem simul superstitionem, desidiam, mollitatem, luxuriam, avaritiam, quae vitia eius aetate in

dies magis grassabantur, ita depinxit, ut non unum alterumve notaret, sed unum describens omnes describeret. Siquidem satira hoc propositum habet, ut vitiis hominum castigandis homines vitae officia doceat et ad virtutem neglectam reducat, quomodo Persius satirici munere, quod tunc gravissimum et difficillimum erat, pro iuvenili adhuc aetate religiosus fungi potuit?

Non sine summa ipsius iniuria cum Horatio comparatur, cui multo felicior rerum conditio ad ingenii dotes excolendas et proferendas contigit. Illius aetate quaecumque vel absurde vel indecore peccata erant carpere et ridire impune licebat; si alio tempore vixisset, satiram eius plane aliam, aetate Neroniana omnino nullam futuram fuisse persuasum habeo. Persius aetate vixit, qua omnis dicendi libertas sublata erat, qua ingenue sententiam dicere crimini vertebatur; ingenia paeclarissima aegre se continebant, quominus libidine aliisque vitiis infames notarent, sed aequiora tempora exspectabant, quod Iuvenalis fecit et Tacitus ipse (Agric. 3) de se praedicavit. Quod ad Neronem attinet, facile adducor ut credam, Persium principis huius scelestissimi mores satira vix comprehendi posse eiusque fines excedere sensisse. Persius igitur id propositum non habuit, ut vitia cum singulorum dolore exagitaret ac viros aliquo vitio infames in fabulas sermonesque hominum mitteret, sed ut saeculi mores perditos et studia pravissima graviter reprehenderet, quod satira prima optime perfecit, qua corruptum litterarum statum egregie descripsit. Illud, quod satiras hominibus maxime commendat iisque gratissimas reddit, ut primores populi nominatim carpantur et acriter destringantur, apud Persium frustra quaesiveris, cui, quod nihilominus satirae eius summo aequalium plausu et clamore excipiebantur et ut in vita narratur diripiebantur, eo maior conciliatur admiratio.

Si, quod supra dixi, satira tota ex tempore, quo scribitur, pendet, etiam aequalium iudicio optime aestimatur. Et re vera Persii virtutem solidam et sanctam non minus admirari debemus, quam ingenii fervidum impetum ac vigorem, quo adulescens ad satiras scribendas incitabatur. „Scripserat etiam praetextam Vescio vel quocumque alio nomine haec fabula fuit et ὄδοιπορικόν librum unum et paucos in socrum Thraseae, Arriam matrem, versus quae se ante virum occiderat; sed ea omnia auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret.“ Quo aetatis anno satiras scribere coeperit, traditum non est; certe praeauram adulescentis indolem admirari debemus, qui satiram, quam viri vitae peritissimi aggredi verentur, adulescentulus attigit, mortuus enim est ante annum aetatis duodetricesimum.

Satirarum librum a Cornuto recognitum Caesius Bassus poeta, qui „a prima adulescentia“ summa familiaritate cum Persio coniunctus erat, edidit; editum continuo mirari et diripere homines cooperunt. Quantopere etiam doctis viris placuerit, ipsorum verbis probatur. Quintilianus, Persii verbis nonnunquam usus, celebratam de illo sententiam dixit: „Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit,“ quocum Martialis consentit:

„Saepius in libro numeratur Persius uno
Quam levis in tota Marsus Amazonide.“

Lucanus Persii satiras adeo admiratus est, ut illo satiram coram amicis recitante haec vera esse poemata clamaret, at quae ipse faceret ludum tantum iocumque. A grammaticis saepe versus Persii laudantur, in primis vero a scriptoribus ecclesiasticis patres quos dicunt lectitatus est, Augustino, Tertulliano, Lactantio, Hieronymo denique, qui „disertissimum satiricum“ singulari studio et amore complexus satiras eius fere edidisse videtur. Alii scriptores qui Persii mentionem fecerunt ab Lahnio (p. 51 sqq.) enumerantur.

Media quae dicitur aetate Persium non minore gratia et auctorite floruisse, non modo codices satis multi et antiqui et scholia quae supersunt, sed etiam testimonia complurium scriptorum testantur. Recentiori aetate in iudicio de Persii satiris faciendo viri docti magnopere inter se dissentient. Quam acerbe et iniuste uterque Scaliger et Dan. Heinsius de Persio iudicaverint notum est, nec multo melius nostra aetate Koenigius, Nizardus, Bernhardius de Persio existimarunt; at Casaubonus, Passovius, Herderus, Hamannus, alii Persium contra illorum criminationes optime defenderunt eumque summi fecerunt. Verissime Heinrichius, qui, etsi multa in Persio vituperavit, virtutes eius libenter agnoscit, plurimos qui de Persio iudicaverint eum vel leviter cognitum damnasse vel omnino vix cognitum habuisse dixit. Tralatitia illa obscuritatis opinione ducti multi Persii satiras vel parum diligenter legerunt vel male et dure in linguam nostram translatas percurrerunt. Hoc maxime requiritur, ut iudicio utamur ubique integro neque fictam quandam et praesumptam opinionem secuti

ad Persii satiras legendas accedamus. Sententiam de illo veram ac sinceram, praesertim cum multi loci obscuri lucem desiderent, tum demum dicere possumus, cum eum non semel, sed decies legerimus eiusque cogitandi ac sentiendi rationem penitus cognoverimus. Tum multa aut constitui rectius aut defendi melius possunt, cum illum assidua lectione nobis familiarem reddiderimus. Ac primum quidem quem locum ille in litterarum Romanarum historia obtineat, videamus.

Satiram Romanorum propriam esse, Quintilianus recte iudicavit; Graeci satirica quaedam alius generis carminibus admixta, sed nullas habent satiras. Quare, cum satira pars quaedam poesis didacticae sit, num poema iustum haberi possit, multi dubitarunt. Evidem illi, si certis finibus cohabeatur, formam poeticam aptam esse non negaverim; ab inde Graecorum prorsus alienam fuisse iam eo quod satiras illi nullas scripserunt satis probatur. Satirae verae tum solum nascuntur, cum natura et vita vinculis quibus antea tenebantur solutis inter se pugnant; quae tempora oratori satis commoda, poetae maxime iniqua et aduersa sunt. Apud Graecos natura et vita pulcherrime inter se consentiebant, nunquam apud illos poesis ita a vita abalienata est, ut in scholas vel rhetorum vel philosophorum confugeret.

Tum Graeci neque ad illam, qua Romani Neronis aetate demersi erant, morum pravitatem unquam prolapsi sunt neque pristinas virtutes paribus vitiis contaminarunt. Satirica quaedam in iambis, epigrammatis, comoediis reperiuntur. Iamborum scriptores vicia quaedam vel delicta singulorum acerbissime exagitant; sed quos petunt laedere volunt, non mores illorum corruptos emendare. Tanto illi studio, ira, rabie in certos homines sibi inimicos invehuntur, ut iure viri docti dubitaverint, num iambi inter poemata referri possint. Quorum natura, Horatii epodis optime expressa, quantopere a satiris diversa sit, etiam numerorum diversitate cognoscitur. Epigrammatis quoque nonnullis vicia singulorum mediocria vel errores leviores paucis verbis sed illis perfacetis ac dicacibus ita describuntur, ut risus legentium moveatur. Satira „sermoni proprior“ non singulos petit, sed vicia describens omnium rationem habet, ad quam comoedia Atticorum quae dicitur antiqua iam propius accessit; in illis fabulae partibus, ubi poeta choragum ad populum loquentem fecit, fines suos transgressa ipsius satirae vim obtinuit. Quapropter Horatius Lucilium omnem ex Eupolide, Cratino, Aristophane pendere dixit, quam sententiam grammatici fere omnes probarunt (cf. Isid. Origg. VIII, 7, 7). Et re vera, si satirae Romanae naturam fabulae similem spectamus, illa Diomedis grammatici sententia plane contemnenda non videtur: „satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicuum et ad carpenda hominum vicia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius, Persius.“

Lucilius certe, qui primus inter Romanos satiras scripsit, antiquae Atticorum comoediae scriptores moribus Graecorum ad vitam et instituta Romanorum translatis imitandos sibi proposuit. Ut Attici illi poetae, in primis Aristophanes, comoediam, ita Lucilius satiram totam ad rem publicam rettulit, qui delectu omni et discrimine omisso „primores populi populumque tributum arripuit“ et quidquid vel in re publica vel in hominum vita ac moribus corruptum et depravatum reprehendit, „multa cum libertate notavit“. Mala ac vicia rei publicae, quae iam uberrimam satirae materiam suppeditabant, fortiter denudavit et quosecumque illam corrumpere videbat acerbe castigavit. Mores a vitiorum, quae ex Graecia et Asia in rem publicam advecta erant, contagione integros servare et exemplis pristinarum virtutum omnium ante oculos ponendis ad maiorum simplicitatem revocare studuit. Erat in illo antiqua et vernacula sermonis festivitas, virtus fortis ac mascula, summa denique indignationis vis, qua satiras ex intimo animo expressit, non arte et studio confecit. Quare minime mirum videtur, Quintilianus quoque aetate fuisse, qui eum non tantum Horatio, sed omnibus reliquis poetis anteponere non dubitarent.

Horatius Lucilii satirae vere Romanae vim ac gravitatem agnovit et probavit (cf. sat. I, 10, 48; II, 1, 29. 75), sed rem publicam scriptores illius aetatis, a qua libertate iam sublata aliena erant, non tetigerunt, quare cum et ipse philosophia studiisque optimarum artium eruditus et cum viris liberali doctrina politis summa familiaritate coniunctus esset, satiram a rebus publicis ad vitam privatam et litteras convertit. In his omne studium posuit et prae ceteris in horum statum iam ruinae pronum, in misera studia poetarum, qui nil nisi inanem et ambitiosam artis ostentationem quaerebant, cum summa indignatione invectus est. Haec satirarum Horatii anima, vis, nervi; non in

eo versatur, ut mores corruptos malos reprehendendo corrigat, sed unum alterumve vitium vel potius errorem lepide deridet et quam satira poscit indignationem seriumque animi habitum urbana quadam hilaritate mutavit. Multo maior satirae ad rem publicam relatae vis in carminibus quibusdam cernitur (I, 2; II, 15; III, 1—3; 5; 6; epod. 7, 16). Rectissime Rothius („De satirae Rom. natura“ p. 15, „Zur Theorie und inneren Geschichte der Röm. Satire p. 20) de Horatii satiris iudicat, „nullam, si libri secundi quartam et quintam exceperis, reperiri, quae continuo carmine vitia rideat, plures, quae vel fabulae rectius quam satirae dicantur, vel ipsius poetae causam agant, sed omnes fere, in primis I, 2 et II, 3, eiusmodi materiis quaedam vere satirica habere admixta“. Meras satiras Persius et Juvenalis scripserunt, qui satiram Romanam absolverunt et perfecerunt.

Hi satirae Romanae scriptores: Lucilius, Horatius, Persius, Juvenalis non recte aestimantur, si virtutibus singulorum ad certam normam et regulam perpensis et examinatis inter se comparantur. Si nihilominus illi in contentionis iudicium vocantur, recte Lucilius et Juvenalis, Horatius et Persius componuntur, quorum Lucilius satiram maxime ingenuam, fortem, vere Romanam reddidit, Juvenalis orationis gravitate, urbanitate ac venustate sermonis Horatius excellit. Persius, qui sublimi ingenio et studio diligenter vitam hominum contemplabatur, omnia ad optimam et perfectam philosophiae speciem rettulit. Longis quaestionibus et disputationibus nihil profici, modo ipsorum scriptorum naturam et tempora respicias, Montius Italus vere iudicat, cuius verba perelegentia hic apponere licet (edit. p. 103): „Qnando cerco norme di gusto, vado ad Orazio il più amabile; quando ho bisogno di bille contra le umane ribalderie, visito Giovenale il più splendido; quando mi studio d'esser onesto, vivo con Persio il più saggio e con infinito piacere mescolato di vergogna bevo i dettati della ragione su le labbra di questo verecondo e santissimo giovanetto.“

Caput II.

Persium Horatii satiras studiose et diligenter legisse, Horatii modum et sermonis elegantiam non exaequasse facile cognoscitur. At satirica et fortiora plura habet atque eo Horatio praecellit, quod non suam, sed omnium causam agit, quod satiram ab aliorum carminum natura diversissimam et finibus angustioribus conscriptam philosophiae praceptis pulcherrimis distinxit nominisque invidia sublata praecipua laude atque honore exornavit. Desideratur in Persio, quod satirae proprium esse solet, singulorum hominum vitia notari, cum quorum mores describuntur non quidam fuerint omnibus noti, sed generis tere cuiusdam hominum imagines et exempla referant quique illi fuerint nosse parvi intersit. Hac re Juvenalis Persium valde superasse dicitur; sed ille, verborum prodigus, sententiarum pauper, num, quod ipsorum principum mores corruptos et perditos notaverit, veris laudibus ornetur, valde dubito. Libera veritus „verba animi proferre et vitam impendere vero“ (4, 96) se in sola mortuorum, utpote qui non amplius mordeant, flagitia inventurum esse profitetur:

„Experiā quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.“ (I. extr.)

Satiram IV., qua Domitiani insanias ineptias, VIII., in qua vv. 193, 198, 211—230 Neronis crudelitatem ac levia simul artis musicae studia exagitavit, post ipsorum mortem conscripsit. Rari admodum apud Persium loci sunt, quibus homines nominatim corripiuntur, ut I, 85 Pedius Orator, II, 72 „Messalae lippa propago“, V, 9 Glyco tragoedus, VI, 44 sqq. Caligula ridiculum de Germanis triumphum parans; Neronem ipsum non nominatum locis quibusdam satirae primae et quartae reprehendi patet. Aliis quoque locis (I, 13 sqq. 30 sqq. 70 sqq. 92 sqq. 127 sqq. IV, 25 sqq. V, 2—9) homines non nominati ita describuntur, ut quos poeta spectaret omnes intellegerent. Prorsus inutili vero studio viri quidam docti alias homines nobis ex illorum temporum historia notos inquisiverunt, inter quos Lehmannus Persii satiras illis poematis quae a nobis politica appellantur adscribere non dubitavit. Ille omnia fere ipsaque levia ac minuta ad viros vel in re publica vel in litteris conspicuus rettulit, quod argumentis satis incertis confirmatus studio et doctrina mirifice abusus est. Sententiam disputationibus de sat I. II. V. editis (Philol. 6, 3. Ztschr. f. Alterthw.

1852, 25. Progr. gymn. Gryphisw. a. 1855) nobis probare studuit, sed paucos vel neminem eo deduxit, ut talibus „nugis pondus adderent“.

Idem argumentum post illum Franciscus Semisch tractavit (Progr. gymn. Friedeberg. a. 1877), sed vereor ne et hic subtili instituta quaestione argutius quam verius iudicaverit. Ne nodum, ut ait poeta, in scirpo quaeras! Ut unum tantum moneam, si Persius re vera Neronem, Poppaeam, alios ita denotavit, ut omnes intellegent, Nero ipse Persio aequalis illique alii non intellexisse putandi sunt? Recete Koenigius (p. 22 ed.) illos qui Persium obscuritati studuisse affirmant, ut delatores effugeret, ridicule indicare dixit, ac si non istis temporibus vel levissima suspicio vim ipsius delicti habuisset. Cum satira non vulgus hominum, sed illos potissimum insectetur, qui vel dignitate vel opulentia vel doctrina omnium instar esse videntur, Persio illud vitio vertamus, ad quod pro iniquitate rerum ac temporum coactus erat? Ipse veram animi sententiam aperire sibi non licere quam acerbe et graviter I, 119 queritur!

Qui ob illam causam Persii satiras contemnunt et disputationes e scholae umbris prognatas, sanguine et nervis carentes appellant, iniquius iudicare mihi videntur, tamquam nullae omnino satirae scribi possint, quae res contumeliosas et insignis infamiae non contineant. Contrario vitio multae satirae laborant, quae nulla urbanitate mitigatae ac temperatae omniq[ue] virtute poetica destitutae in mera convicia abire videntur. At quod philosophi et poetae didactici vitae honestate commendanda et praeceptis virtutis tradendis quaerunt, idem poeta satiricus sibi propositum habet, sed aliam ille viam ingressus improbos mores reprehendit scelera flagellat et „inspicere tamquam in speculum in vitas omnium“ iubet.

Magnopere igitur errant, qui personae utrum verae sint an fictae, ad verum tamen expressae, immane quantum referre omnemque satirici artem in singulis hominibus infamandis conspicui putant, quod mihi, dum per tempora liceat, omnium facillimum videtur. Rerum inopiam, qua satiram debilem et enervem reddi intellegebat, Persius exemplis e vita communi petitis optime compensavit, quae quantopere satiras eius exornent omnes una voce praedicant. Ad satiram illam rigidam et severam, qualem Iuvenalis scripsit, Persio non ingenii dotes defuerunt, quod nonnulli existimarunt, sed illa animi duritas et acrimonia, qua quis ad satirae virus evomendum irritatur et propellitur. Morum fuit, ut in vita narratur, lenissimorum, ad quos, cum patrem iam puer amississet, conformandos matris educatio, sororis et amitiae usus domesticus multum contulisse videntur. Indoles animi eius talis erat, ut semper sublimiora appeteret omniaque ad summam philosophiae formam speciemque referret.

Quare cum ad vitam communem, vitiis pollutam et in peius mutatam, non nisi aegre descendat, recte dubitare mihi video, num Persius, si illi longior aetas suppetisset, satiras scribere perseveratus fuerit. Si alio tempore vixisset, haud dubie satiram, quam a Lucilio recens arripuit, nunquam attigisset, carminibus idyllicis vel elegiacis, quibus omnes ingenii fontes recludere, omnes poesis flores aperire poterat, dolorem animi effusurus. Sed cum vitia, quae Neronis aetate grassabantur, in dies latius effundi et evagari videret iamque imminentem morum ac virtutum ruinam animo prospiceret, adulescens sanctimoniae singularis se continere non potuit, quin satiris scribendis animum maestum ac sollicitum levaret. De edendis satiris, cum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum aequiora tempora exspectare in animo habuisse videtur, sed morte eius praematura factum est, ut satirae imperfectae in amicorum manus venirent. Praeclare C. F. Hermannus (pref. p. VII.) de Persio iudicavit, poetam illum natura, satiricum arte potius et schola factum esse, et re vera Persium tum maxime quasi liberum et ex carcere emissum virtutem poeticam ostendere videmus, cum a satira ipsa discessit. Quare cum satira vitae communis vinculis nimis constringatur, qui recentiori aetate satiras scripserunt formam poeticam ut satirae minus aptam reliquerunt.

Iuvenalis satirae a satiris Persii quantum diversae sint, si Persii satiram II. cum Iuvenalis X., huius VII. et decimae quartae partem priorem cum illius satira III. componere velis, facile cognoscet. Doctrinae ingratam et intempestivam ostentationem, frigidam declamationem, rerum ac sententiarum molestam repetitionem iure multi in Iuvenalis satiris notarunt. Rhetorum illi more, argumentorum ordine prius designato, alia aliis subiungit, saepe, maxime vero in illis quas irae aestu defervescente scripsit satiris postremis, tam a re quam tractat aliena, vel ex historia vel ex fabulis petita, profert, ut „a diverticulo fabulam repetere“ (XV, 72) cogatur. Inventione poetica omnes carent neque, si

XI. et duodecimae partem priorem exceperis, simplicitate quadam ac venustate commendantur. In singulis velut in tabula picta describendis Iuvenalis egregius est, in ceteris fere rudis. Tum in vitiis denotandis „altum satira sumente cothurnum“ (VI, 634) nimius est, cum fere ubique rem verbis augere et exasperare soleat. Res vel turpissimas ac foedissimas patefacere et in luce collocare non erubescit et rei publicae totum corpus quasi obsitum ulceribus et tabe confectum denudat. Omnia ibi vasta ac deserta nullusque fere locus in quo requiescas ostenditur. Ut paucis dicam, Iuvenalis satirae rhetoricae sunt, Persii philosophicae.

Nusquam apud Persium illa „monstra nulla virtute redenta a vitiis“ (Iuv. IV, 2), „quaecumque perniciem ferunt“ (Hor. sat. I, 4, 130) reperiuntur, non in homines flagitiis ac sceleribus obrutos invehitur, sed illorum vitam miseram commiseratur, illorum mentis caecitatem deplorat, qui „inter scabiem tantam et contagia lucri nil sariant“ (Hor. epp. I, 12, 14) et philosophiam omnis virtutis magistrum aspernentur. Quamvis „uni aequus virtuti atque eius amicis“, non ille, qualis a nonnullis describitur, tristis ac morosus et qui congressus hominum fugerit. Quanta festivitate ac vere ingenua hilaritate satira prima et reliquarum satirarum loci nonnulli (cf. II, 30 sqq. III, init. VI, 33 sqq.) excellunt! Ceterum res ridiculas et iocosas raro admisit, cum animus eius atrocitate temporum decessus nimio dolore cruciaretur. Severitas ac gravitas, qualis in Persii satiris conspicitur, nec tristis illa nec dura, satirarum scriptorem decet nec veram iustumque condiderit, nisi qui virtutis studio incensus cum quadam indignatione in prava omnia et perversa invehatur. Summum honestatis et virtutis studium, fervidum verae ac sincerae indignationis ardorem, animum Romanum simplicem et incorruptum nemo in Persio non potest agnoscere. Hoc unum dolemus, quod morte praematura absumptus vitam et studia hominum non satis usu nosse potuit, sed eo magis illum animi impetum admirari debemus, quo incitatus, quae multarum rerum usum postulat, satiram adulescens attigit nec vitam desidem et quietam degere voluit, „dum patrum saperet“. (I, 11.)

Satiris quas primas scripsisse videtur quinque, quae ex nostro ordine postremae leguntur, praecepta quaëdam Stoicorum illustravit, verum non ita, ut in scholis illa tractari didicerat, quae Iahnii, cuius de Persio merita ceterum summi facio, sententia est. Quodsi Persii satiras cum illis utriusque Senecae libris comparamus, permultum hercule inter patris saepe inficetas controversias et suasorias, filii disputationes, interdum ingeniosas plerumque aridas atque ieiunas, et Persii satiras interesse videmus. Apud illos omnia e schola profecta, sine sanguine et nervis, a Persio, simulaque ex scholae vinculis effugit, vera ac vivida vitae imago exprimitur. Senecam philosophum „sero cognovit, sed non ut caperetur eius ingenio,“ quod magnam et incorruptam iudicii sanitatem in adulescente stoicae philosophiae dedito ostendere Hermannus (praef. edit. P. p. VIII.) scite animadvertis.

Satira prima corruptum aequalium de litteris iudicium castigans, quam Persius, cum „a schola et magistris divertisset,“ scripsisse videtur, tam perfecta, tam ad verum expressa est, tot ingenii luminibus distincta et facietiarum lepore tamquam sale perspersa, ut ullam vel Horatii vel Iuvenalis satiram illi parem existimare dubitem. Persius hanc satiram ultimam scripsisse cum eximia præ ceteris præstantia, tum eo probatur, quod Pedius Blaesius, duobus annis ante Persii mortem repetundarum accusatus et senatu motus, v. 85 sqq. acerbe castigatur.

Ceterae quoque satirae quo ordine scriptae fuerint, singularum argumento, consilio, natura accurate examinatis ad iudicium de Persio faciendum haud parvi momenti esse videtur. Prima omnium satira quarta scripta esse videtur, cum sententiarum ordine maxime simplex et inornata et ex imitatione dialogi Platonici profecta scholam maxime redoleat ac tota in eo versetur, ut sententiam illam iam ab Horatio (sat. I, 3) explicatam, plerosque homines sua vitia ignorare, aliorum delicta graviter reprehendere, exemplis quibusdam illustret. Quorum primo illo adulescentis, qui iis, quae a principe requiruntur, parum instructus ac sola generis dignitate confisus rei publicae administrandae partem capere cogitat, Neronem peti mihi certissimum videtur. Totam satiram ad illum referre, quod Casaubonus, Meisterus, alii fecerunt, absurdum est et historia ipsa refutatur, cum Nero quinquennio illo omni laude dignus habitus sit. Sed quod prima satirae parte (v. 1—22), qua Socratem Alci biadis in summa rerum publicarum imperitia ingenii et eloquentiae arrogantiam accusantem fecit, tecte vituperatur, eo mea sententia, quam etiam Iahnium (proll. p. 64, 1) probare video, Persium

hanc satiram primam scripsisse defendi mihi videtur. Neronem prima statim satira ab omni reprehensione incolumem evasisse vix verisimile est.

Post hanc satiram Persium illas scripsisse puto, quas ad Caesum Bassum poetam sibi familiarem, Annaeum Cornutum praceptorum et quem praceptoris loco habuisse videtur Plotium Macrinum misit. Adulescentes enim quae prima confecerunt carmina ad amicos et praceptors mittere solent. Hoc quoque Persium satiras publico usui non destinasse probatur (cf. V. 21 „secreti loquimur“). Harum satirarum, quas Horatii epistulis non dissimiles dixeris, primam ad Caesum Bassum, secundam ad Plotium Macrinum, tertiam ad Annaeum Cornutum missam esse existimo, quod nonnullis argumentis ex ipsarum natura petitis probaturus sum. Satira quae sexta legitur a reliquis satiris, quibus poeta bene vivendi pracepta quaedam tradit et ad virtutem sancte colendam adhortatur, plane diversa talem animi fervorem, quo poeta quid sentiat libere et ingenue profitetur, talem sermonis hilaritatem ac fere intemperantiam ostendit, ut nisi ab adulescente et ad aequalem eademque sentientem amicum data esse non possit. Sermo omnis ad illius cui destinata erat mores componeretur ac conformaretur necesse erat nec minor illius quam argumenti ratio habenda. Praeterea eo quod hac et quarta satira a rebus obscenis verbis satis liberis ac fere agrestibus describendis non abhorruit, Persium illas primas scripsisse comprobari mihi videtur. Cum adulescens „verecundiae fere virginalis“ homines effusis in omnem intemperantiam libidinibus contaminatos cotidie videret, temperare sibi non potuit, quin ad illam verborum contumeliam descendenter.

Satira II. et V., quae post illas scriptae esse videntur, reliquis multo graviores sunt veramque ac perfectam philosophiae stoicae imaginem exprimunt. Satira secunda, qua sacrificiorum splendori animi integritas et castitas opponitur, hominum in votis faciendis pravitas et stultitia reprehenditur, sanctissima verae erga Deos pietatis pracepta continet, quorum illud:

„Compositum ins fasque animo sanctosque recessus
Mentis et incocum generoso pectus honesto,
Haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.“

vere christianum est.

Satira quinta, qua Horatii sententia (Epist. I, 16, 65)

„— qui cupiet metuet quoque, porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.“

illustratur, ab omnibus earum quae philosophica argumenta tractant paeclarissima iure habetur. Nam argumentorum apta dispositione, sermonis elegantia et quae in disputando raro reperitur poetica virtute insignis est. Ceterum Koenigius (p. 14 ed.) aliqua ex parte recte indicavit, Persium in huins satirae argumento deligendo, non e vita communi sed ex stoicae disciplinae penetralibus desumpto, maxime errasse, cum talis disputatio more philosophorum instituta, quae subtili argumentatione nitatur, iam per se omnem poeticam tractationem respuat. Sed eo Persius satis excusatur, quod satiram illam non in vulgus, sed ad Cornutum philosophum misit, quem sibi praceptorum contigisse laetatur, cuius in se merita grato animo praedicat; fere inepte fecisset, si aliud argumentum, ab illo quod tractavit plane diversum elegisset. Certe haec satira non multo ante Persii mortem scripta est, cum sedecim ille annos natus Cornuti, quocum „longos consumere soles et primas epulis decerpere noctes“ se meminisse dicit, amicitia ac disciplina uti cooperit.

Tertia satira perfectam exprimit imaginem desidiosi adulescentis, qui, cum in medios dies dormire soleat et expergefactus inanes otii excusationes quaerat, in turpissima vitia delabitur. Tum omnes illos, qui lenociniis cupiditatum obstricti, socordia atque inertia sopiti vitam mollem ac delicatam agant et philosophiae studium neglegant, gravi voce increpat. Proxime ante primam satiram scripta esse videtur; gravissimum ut illa vitium luxuriem, summi materiem mali, impugnans pari fere sermonis alacritate et vigore excellit. Omnium vero praestantissima est prima satira, quacum prologus acerbissima poetarum tum maxime placentium irrisione plenus artissime cohaeret et quasi unum carmen efficit. Ipsa satira, paeclarum ingenii poetae documentum, quasi prologus reliquarum satirarum est, qua Persius se ab omnibus suae aetatis poetis, quorum studia contemnebat et pro nihilo ducebatur, seiungit et rationes, quibus potissimum ad satiras scribendas incitatus sit, affert. Illi autem quam maxime errant, qui Persium, cum poetis, quorum carminibus homines tunc maxime delectabantur,

adnumerari nolit, suum ipsius ingenium elevasse putant. Annon poeta superbe ac fastidiose potius quam modeste loquitur? Quam vivida et vera ibi (vv. 15—18, 33—35) stolidi illius poetae descriptio, qui dum versus fundit, recitationis splendorem et plausum populi animo praecipiens ad maiorem scribendi celeritatem incenditur. Verbis quae sequuntur paeclaris et vere poeticis:

„Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae?“

illa Shakespearii verba in fabula Hamlet, ipsa quasi floribus fragrantia, similia sunt: „Lay her i'the earth And from her fair and unpolluted flesh May violets spring.“

Eadem suavitate poetica sat. II. v. 38, ubi nutrix pro pueri vota facit, excellit: „Quidquid calcaverit hic, rosa fiat.“ — Persum in satiris scribendis iam tantum profecisse videmus, ut quanta satirae Romanae spes morte eius immatura praecisa sit, vix aestimari possit.

Caput III.

Iam quod ad philosophicam Persii satirarum naturam attinet, nimium sane ex illa de Persio ipso viri quidam docti conjecturas fecerunt, quae nullis firmis ac certis argumentis probantur. Iahnius (proll. p. 60) „Persum vitam non usu novisse ipsam, sed qualem scholae severa disciplina repraesentarat“ satirasque eius „quam maxime disputationes esse e stoicae philosophiae scholis prognatas“ (ib. p. 68) indicavit, quam viri doctissimi sententiam integrum probare non possum. Prorsus vero ficta et arbitraria illa sententia est, Persum a vita hominum remotum atque „indefesso litterarum studio laborantem“ (Iahn. proll. p. 45.) ultra scholam et magistros nihil sapiisse. Vitam solitariam et umbraticam, qualem nostri philosophi rerum humanarum fere nullam rationem habentes colunt, veteres, qui philosophiam vitae recte instituendae ducem ac magistrum habebant, contempserunt neque unquam talem viderunt. At reputemus, quae vitae scriptor, quisquis is est, de Persio narravit. A Remmio Palaemone grammatico et Verginio Flavo rhetore puerili doctrina institutus in L. Annaei Cornuti, viri scientia litterarum et maxime philosophia erudit, disciplinam se tradidit, a quo „aliquatenus in philosophiam inductus est“, et profecto maiorem philosophiae amorem, quam accuratam cognitionem in Persii satiris inveneris. Philosophiae stoicae tunc fere optimus quisque se dedit ad eamque omnes qui Romanum animum servaverant refugerunt. Caesium Bassum poetam et Calpurnium Pisonem virum nobilem a prima adulescentia amicos habuit, „per Cornutum cognovit etiam Lucanum“. Claudio Agathino medico Lacedaemonio et Petronio Aristocrate Magnete, qui condiscipuli aequales Cornuti domum frequentabant, familiariter usus, denique cum Servilio Noniano, Plotio Macrino, Paeto Thrasea, viris doctrina ac morum sanctitate claris, usu domestico atque consuetudine coniunctus est.

Persum cum tot summis viris cotidie fere conversatum a convictu humano prorsus alienum fuisse et „vitae nescio errore“ (V, 39) captum in scholae umbraculis abditum delituisse vix credi potest. Singularem Persii artem ac virtutem in describendis hominum moribus conspicere non est qui negaverit. Paucis verbis illorum naturam tam probe depingit, illorum sermonem subtili imitatione tam eleganter et commode exprimit, ut cum iis vivere et loqui videamus, quam rem Meisterus (Letzte Studien p. 30 sqq.) et Iahnius (proll. p. 83. 104 sqq.) accuratius explicarunt. Adde similia e vita cotidiana petita et proverbia, quibus saepissime utitur (cf. Iahn. p. 106); scriptores docti illa despiciunt et contemnunt, quae qui „in hisce cotidie versantur“ (Iahn. ib.) adhibere solent.

Quod Iahnius docta quaestione de mimis instituta (p. 82—104) disseruit, Lüttichius (Progr. gymn. Naumburg. a. 1879) valde probavit, Persum artem quae illi tribuitur mimicam acri ac diligentia studio in Sophronis Syracusani carminibus posito sibi comparasse, cum nullis fere veterum scriptorum testimoniosis confirmetur, mihi minus persuasit. Persius illam quam landavi artem non studio didicit, sed ex vita ipsa arripuit et quasi dotem a natura accepit. Ille, qui hominum consuetudinem fastidiisse dicitur, qui potuerit illorum naturam tam bene cognitam habere, tam ad verum exprimere, ut quid maxime quemque deceret, quid cuiusque maxime suum, nunquam esset nescius? Haec Persii

ηθοποία et *ένάργεια* eo magis admirabilis est, quo difficilius satirarum scriptorem iis contineri finibus, „quos ultra citaque nequit consistere rectum“, cum longius in singulis depingendis commoratus satirae vim infringat et a via aberrans propositum non assequatur. Parvulae illae vitae quotidianaes imagines, quas Persius expressit, paene sub oculos subiectae nativum ac verum vitae ipsius colorem adeo servarunt, ut omnem illius quasi succum et sanguinem imbibisse videantur; ficti vel fucati in iis nihil invenias. Ampliores et grandiores sunt, quas Iuvenalis effinxit, eadem in veritate fere nimiae, pingues ac horridae eoque a Persianis maxime diversae, quod externam solum hominum formam et speciem ostendunt^{**}).

Satirae Persii, qui „in sese descendens“ mentem perscrutatur, ex diligenti naturae humanae studio profectae sunt. Sanctissimus ille inter satiricos Romanos, tam sublimem gradum occupat, tam grandem rerum humanarum prae se fert contemplationem, ut ad singula e vita communis petita raro descendat. Non contentus male facta carpere, vitiorum naturam a fonte repetit et quomodo neglecto virtutis et sapientiae studio in vitam omnium irrumpant ostendit. Poeta satiricus cum illis maxime vitiis abstinere debeat, quae in aliis reprehendit, Persius morum sanctimoniae fere christianaes Horatio ipsi interdum levi ac parum verecundo animi candore longe antecellit, si Montii verbis uti licet, „l' uno è il catechismo della virtù, l' altro è il breviario de' cortegiani.“ Satirae eius non in quosdam homines, duces illos ac quasi signiferos reliquorum, sed in rem ipsam, non Romanis, sed omnibus hominibus scriptae sunt. Quare maior in illis sententiarum, quibus potissimum satira ab iambis secernitur, quam apud ceteros satiricos copia est, nec quin eo satirae vis et robur interdum imminuatur negari potest. Persius quo erat ingenio leni et mansueto, vicia hominum verbis increpare non sine magno animi dolore constituit. Praesente vitiorum statu dum alii periculum, quod omnibus intenditur, vel non sentiunt vel parvi pendunt vel dictieriis in singulos homines conficiendis animi sollicitudines sublevant, poeta satiricus, quae in uno aliquo reprehendit, non solum ut omnes vitent illiusque dissimiles sint monet, sed etiam, quo mores illorum emendet, gravissima philosophorum praecpta adiungit. Persius, cum vicia iam praevalida in dies increbescere videret, spem melioris rerum conditionis, id quod Iuvenalis fecit, non abiecit. Philosophiae solatia, medicinam doloris, requirens verae ac solidae virtutis imaginem hominibus quam intueantur proponit.

Caput IV.

Iis quae de satirarum Persii natura disputavi pauca, ne quid deesse videatur, de sermone quo usus est addere libet. Decantata Persii obscuritas est **), quae virorum doctorum studiis curisque minuta an aucta sit dubitare possit. Diversis illorum opinionibus recensendis et perlustrandis sententiam obscurari potius quam illustrari Iahnius recte iudicavit. Tralaticia illa obscuritatis fama ducti priores certe interpretes quae satis clara erant obscura reddiderunt simplicemque verborum ordinem perturbarunt ac perverterunt, Persium ut Montius scite animadvertisit, „in un lago di note“ suffocarunt. Quapropter qui Persii satiras primum sine commentariis legerit nonnulla statim non percipiet, sed Persium iam primoribus labris degustatum postea melius intellegebit. Obscuritas quaedam vel rerum vel verborum omnibus poetis satiricis communis est, nec vicio iis vertenda: multa quae nobis obscura videntur, cum scribebantur, omnibus notissima erant, quae brevius dicta conquerimur, illis vel uno verbo satis indicabantur.

Nonnullis quidem locis Persius, ut alter fere Heraclitus, propter nimiam sermonis obscuritatem ὁ σκοτεινός appellatus, multum studuisse videtur, ut, quae sentiret, aptis verbis exprimeret; sed multo

*) Eadem fere Francogallorum comoediae natura est, de qua J. P. Richter, subili vitae descriptione, iudicij acumine, humanitate, ubertate etiam figurarum et insolita interdum sermonis ratione Persio similissimus, ut nostri dicunt congenialis, praeclare iudicavit: „Die französische Komik basiert eben überhaupt auf dem Begriff des Witzes, der formellen Ironie, der Satire der äusseren That und Erscheinung, die deutsche auf dem des Humors, der Satire des inneren Wesens des Menschen.“

**) „Persio libro scomunicato per tutte le anime paurose.“ Monti. (Libelli titulus est: Satire di Persio, traduzione del cavaliere V. Monti. Milano 1826.)

plures sunt, qui facile intelleguntur et sermonis elegantia excellunt. Causam illius obscuritatis viri quidam docti in imbecillitate ingenii vel defectu verborum repperisse sibi videntur, Persium pugnare quodammodo cum sermone et quae mentem agitent vix tandem proferre aiunt. Quae sententia maximam partem ex illis quae in vita leguntur verbis: „et raro et tarde scripsit“ prave intellectis profecta esse mihi videtur. Persium tarde scripsisse, quod tardi ingenii existimant, conclamant omnes, quod raro scripsisse dicitur praetermittunt. Illa breviloquentia et in translationibus audacia, in quibus plerique dum Persii satiras legunt offendunt, Persii aetate apud optimos scriptores valebant, cum alii, qui omnia ad voluptatem multitudinis imperitiae componebant, sermonis lascivia et mollitie, peioribus vitiis, laborarent et litteras misere corrumperent.

Qui illum litterarum statum consideraverit, Quintiliani sententiam (*Inst. or. IX*, 4, 142): „In universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim, quam effeminatam atque enervem, qualis apud multos“ probare non dubitat. Perversum illud orationis effundenda studium quo tunc plurimi ferebantur Persius non modo satira prima acerbissime castigavit, sed etiam omnibus orationis non ornamentis, sed lenociniis fortiter reiectis suo ipsius sermone illis repugnandum esse iudicavit. Singularem Persii virtutem in hoc positam puto, quod, cui nihil a natura denegatum, neque a doctrina non delatum videbatur, puerilem illam sermonis eruditum et rhetorum more exornati ostentationem aspernatus gravi ac nervoso, nonnunquam quidem duro sermone usus est. Adstricta illa dicendi brevitas, ut alia omittam, Persio cum Tacito, ipso oratore vel potius poeta, communis est; uterque verbis pressus sententiis abundat. Dominatione praepotente, moribus non iam integris perniciosa, dum ingenia imbecilla opprimuntur, fortia ingenia, Tacitus, Thucydides, Cicero, Demosthenes, promoventur et felicia naturae semina maturius excitantur.

Stoicorum vero dicendi genus concisum ac minutum, quod multi Persio attribuerunt, illum non minus contempsisse eo perspicitur, quod Senecae ingenio minime captus esse dicitur. Quae apud hunc inveniuntur et philosophum decent, quietum, aequabile, temperatum dicendi genus, prooemium, quo lecturi animus ad quaestionis summam percipiendam praepareatur, logica argumentorum dispositio, ea apud Persium frustra quaevisseris. Num in illius sermone nunc concitato et vehementer commoto, nunc molli ut in carmine elegiaco et mansueto certa et sibi constans scholae dicendi ratio agnoscat? Optime Ciceronis illis de Thucydide verbis (*Brut. c. 7*) de Persio, quamquam illi ingenio valde dispari sunt, iudicaveris: „grandis verbis, compressione rerum brevis et ob eam ipsam causam interdum subobscurus.“

In Persii satiris pauca tantum vocabula non vulgaria et figurae parum usitatae orationi obscuritatem et tenebras afferunt, Iuvenalis satirae doctrina repletae sine commentario vix intelleguntur. Sed ille translationum usus veterum scriptorum omnium, quibus maior cum natura necessitudo contigit, proprius est. Persius duce natura ipsa ubique mentis quo excellebat acumine quasdam animi cum rebus similitudines inquirens nonnullis quidem locis iudicium elegantiam non servavit, ubi vel duabus et quae prorsus dissimiles sunt imaginibus, dubius utram eligeret, utitur (I, 24; IV, 12; V, 25) vel quod iam imagine expressit verbis propriis repetit et accuratius declarat (I, 5 sqq. III, 67 sqq. V, 10 sqq.). Verissimum vero est quod Longinus dicit, tropos sublimium esse ingeniorum, quorum et illa dicendi brevitas, quae lectorem acutum et attentum desiderat, maxime apud Persium, qui saepissime sermonem inceptum abrupit mollesque ad argumenta aditus spernit. Persii sententias non ubique satis nitide et eleganter conformatas esse facile concedo, sed ex natura ipsa petitae cuique rei maxime sunt accommodatae. Poetae comici et satirici omnes, ut hominum vitia gravius exagitent et risum moveant, sermone festivo, interdum contorto utuntur, neque tropos, quos Montius argute „un arme di riserva“ appellavit, repudiant. Non apud illos quaeritur, quid per se pulchrum ac perfectum, sed quid rei quam describunt aptum et conveniens sit.

Caput V.

Ut vero Persii satirae penitus intellegantur, neque hoc neglegendum est, quod dialogo satirae Romanae proprio utitur, quem ita instituit, ut adversarium suam ipsius sententiam defendantem sibi

fingat. Summa quidem poeta in dialogo disponendo utitur libertate, quo factum est, ut interpres nonnullis locis dubii fuerint, utrum verba adversarii aliquid contra dicentis sint, an Persii ironice loquentis, cum nonnunquam adversario dimisso quem ille inceperat sermonem absolvat vel tantum imitetur. Aliis locis interpres adversario attribuerunt, quae ab eius natura prorsus abhorrent. An poeta, alias in hominibus depingendis egregius, hic mirum in modum errasse putandus est?

Quantae interdum ineptiae dialogo non recte intellecto orientur, primae satirae locus documento est, qui, nisi Persii in dialogo licentiam, qua cum adversarium loqui existimes ipse loquitur, diligenter observes, non intellegitur. Quod Kisselius (Specim. crit. cum animadvv. in sat. I. Zalt-Boemeliae 1848) satis probasse mihi videtur, inde a v. 4 omnia Persii sunt, cum nihil adversario apte tribui possit. Interpres fere omnes, etiam Lahmum et Hermannum, vv. 24, 25 adversario attribuisse me vix intellegere fateor. Quae, nisi illum sibi ipsi irrisisse putas, fere inepta sunt, ea, si poeta loquitur, quanta ironia satirica loco egregie accomodata excellunt, quod iam magnus Casaubonus simplici ille et incorrupto quo semper utitur iudicio perspexit. Neque vv. 28—31 recte adversario tribuuntur, qui sana mente ita loqui non poterat; Persius sermonem ita informasse et verbis exasperasse videtur, ut magis appareret illius stultitia et fatuitas. Quare illum v. 40 sqq. se interpellantem facit, quod nimis risui indulget et modum exceedat. Heinrichius inde a v. 24 omnia (praeter vv. 26, 27) adversario tribuit, quo omnis satirae vigor infringitur, omnis evanescit sermonis festivitas. Optime vero placet in eiusdem satirae v. 2 et 3 vivida illa dialogi distributio:

„Quis leget haec?“ Min' tu istud ais? Nemo hercule. „Nemo?“

Vel duo vel nemo. „Turpe et miserabile.“ Quare?

quae quodammodo etiam probatur Goethii, qui quidem Persium satis cognovisse videtur, verbis in fabula Faustiana II, 1 (edit. Cott. a. 1849 p. 210)

Satiriker: „Wisst ihr, was mich Poeten erst recht erfreuen sollte?
Dürft' ich singen und reden, was niemand hören wollte.“

V. 56 verba: „Qui pote vis dicam“ non Persii, „qui pro cliente non rogatus respondet“ (Herm. Lect. Pers. II, p. 14), sed ipsius clientis esse mihi videntur, qui quid patrono satis dignum proferat animi pendet. At ille, dum laudem exspectanti a tergo illuditur, morae impatiens iterum quaerit v. 63: „Quis populi sermo est?“ „Quis enim nisi . . .“ cliens respondet et vv. 63—68 poetam landibus exornat, quae ex marmorariorum et fabrorum loquendi more conformatae populi sermonem, cuius ille interpres est, optime exprimunt.

In versibus 92—106 disponendis editores multum inter se dissentunt. Heinrichii et Hermanni versuum ordo, ex quo vv. 92—97 adversario, reliqui poetae tribuuntur, etsi multo melior est quam illorum, qui singulos versus ut in comoedia inter Persium et adversarium distribuerunt ac fere discepserunt, verus mihi non videtur. Adversarium, acerbum illud „Cladere sic versum didicit“ proloqui hand veritum, ut numerorum decorem et elegantiam laudaret, ex carminibus poetarum quos defendit tumida quaecumque et inflata elegisse credi non potest. Ne vero cum Duebnero illos versus ex ingenio ac studiis poetarum illius aetatis a Persio ipso factos et concinnatos existimes. Versus 96, 97, quibus Vergilii prae illorum tumore et ineptiis praestantia laudatur, Persii ipsius esse Lahnius recte intellexit. Melius iam Herderus primum tantum versum adversario, reliquos omnes poetae attribuendos esse indicavit. Optima et unice vera Reizii scholiastam, qui adversarii ne mentionem quidem fecit, secuti sententia mihi videtur, dialogum hic nullum esse, quam Orellius, Hauthalius, Kisselius probarunt. Ipse poeta per iocum quaedam in contrariam partem affert, donec v. 103 liberrima indignatio erumpit: „Haec fierent . . . ?“ Versus 99 et 101, 100 et 102, miranda carminum qualia tum scribebantur exempla, extremis verbis inter se consonare, non fortuito accidisse, sed a Persio quae situm esse videtur, ut poetas illos magis ridiculos redderet.

In satirae tertiae v. 8 sq. verba „Turgescit vitrea bilis; finditur“ certissime uni tantum Persio tribui nec separari (Turgescit vitrea bilis. „Findor“) possunt, nisi mirum inter duos verborum consensum statuas. Adulescentem ita de se loqui non potuisse Hermannus antea (Rec. ed. Plum., Allg. Schulzeitg. 1833 „Findor ut ist albern u. psychologisch falsch, eine Selbstbetrachtung und kalte Objectivirung unzulässig“) recte perspexerat. Tum vix quispiam bene „findor“ dixerit, recte Horatius sat. I, 3, 136 „Rumperis et latras,“ recte ille apud Plautum Bacch. II, 3, 17: „Heu cor meum et

cerebrum Nicobule finditur.“ Omnino haud placet, poetae verba (v. 8—15) voce illa solivaga interrupi, neque neglegenda Persii ars est, qua, dum dialogus re ipsa intercipitur, ad veritatem rationem revocat et nonnulla secum commentatur (cf. I, 56 sqq.). Tandem adulescens ille, qui nostrum „Erst frisiert, dann studiert“ probasse videtur, ad studia surgit. — In v. 78 Hermannus lectionem omnibus fere codicibus firmatam et a plerisque editoribus ipsoque antea Iahnio comprobatam „Quod satis est sapio mihi“ iure servavit. Quod nonnulli, rerum novarum cupidi, maluerunt „Quod sapio satis est mihi“, mihi cum Hermanno magis philosophi, quam qui omnem philosophiam ridet centurionis esse videtur. Illud „quod satis est“ etiam Horatii locis: carm. III, 1, 25 „Desiderantem, quod satis est . . .“, III, 16, 44 „Parca quod satis est manu“, epp. II, 2, 52 „sed quod non desit habentem . . .“ et Iuvenalis XIV, 182 „Qui satis est mensis“ defendit. — V. 108 totum aegroto tribendum censeo, qui „summos pedesque manusque attingere,“ quod medici est, apte iuberi non potest. Ita sermo, aegroti moribus accommodatus, multo verior atque alacrior redditur.

In satirae quintae v. 66 Hermannus prave distinxit: „Cras hoc fiet idem. — Cras fiet?“ pro: „Cras hoc fiet. — Idem cras fiet.“ Satis acerbe adulescenti verba redduntur: quod tu hodie dicis, cras quoque dicturus es. — Versum 126 Heinrichius et Hermannus illum secutus male cum versu qui sequitur („si increpuit“) coniunxerunt. Legendum est „Si increpuit: Cessas nugator?“ quae verba dominum, non philosophum decent.

In satira sexta versus 33—37 Hermannus scholiastam secutus male adversario attribuit. Poeta illa per iocum minatur et in ludendo fere nimius rem ridicule describit, quae si adversario attribuas, omnis sermonis festivitas et urbana dissimulatio perditur. Adversarium serio vultuque composito haec dicere mihi fere absurdum videtur. Deinde quomodo secunda persona curtaveris explicatur, quae ad Persium referri non potest, quamvis liberalitatem commendans pariter in heredem peccare videatur? Omnia Persii sunt, etiam illud: „Tune bona incolumis minuas?“, quod omnes fere editores adversario attribuerunt. Tum Hermannus ex scholiis hemistichia v. 37 et 41 transposuit, quo, ut verum fatear, non modo nihil egit, sed etiam mire erravit. Verba „haec cinere anterior metuas“, quae v. 41 sermonem ex adversarii sententia institutum optime concludunt, post v. 36 fere inepta sunt, ubi illud „Tune bona incolumis minuas?“ sententiae egregie convenit. Tu, inquit heres, etsi vivus me tibi iratum effugeris, non inultum id auferes; mortuo tibi iusta non persolvam.

Error levis, qualis multis fortasse videatur, in quantos interdum errores inducat, Heinrichius exemplo est, qui, cum satirae ultimum versum ut praecedentes adversario attribuisset, hanc satiram non ad finem perductam esse censuit. Id versibus 18 sqq., ubi „gemini vario genio producti“, alter triparcus, alter prodigus, describuntur, probari existimavit, cum altera satirae pars desideretur; quae sententia iam ipso satirae argumento refutatur. Mihi nulla satira innotuit, quae argumenta tam diversa complectatur. Tantum abest, ut haec satira imperfecta sit, ut „in se tota, teres atque rotunda“ concinniori fine ornari vix potuerit, cum, quae Horatii ars praecipua est, ioco seria apte concludat. Semper vero poeta aliorum causam agens sermonem hominum tam egregie expressum reddit, ut illi Baconis Verulamensis preecepto: „Loquendum est ut vulgus, sentiendum ut sapientes“ in Persii satiris optime satisfactum esse dicas.